ORDO SECUNDUS.

Medicamenta vitam plasticam intendentia.

GENUS I.

Remedia plastica.

§. 415.

Corpus humanum ex nutritione retenta, aut consumtione praecipitata languidum et exhaustum sine nutrimento restaurari et in integrum restitui non potest. Cum vero, quo minor vitae vigor, eo minor etiam nutrimentum oblatum digerendi et adsimilandi facultas sit, hocce restaurationis opus frustra molietur medicus, nisi simplicissimum ab initio et levissimum aegro nutrimentum suppeditaverit. Quae materia ejusmodi nutriente simplicissima donata sunt, remedia, *plastica* hic nobis dicuntur, quorum magna pars, quamvis ex diaeteticorum cohorte transfuga, suum tamen in medicamentorum adparatu locum nunquam non sibi vindicavit.

§. 416.

Principii, quo haec remedia pollent, nutrientis, seu plastici pro varia, quam agnoscit, origine, varia deprehenditur natura, ut aliud sit, quod plantae recondunt, et iterum aliud, quod ab ani-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-147026-p0409-6

malibus repetitur; unde et diversa illius in corpus humanum virtus profluit. Quod in plantis sub *gummi*, *amyli*, *albuminis* specie generatur, principium plasticum, carbonio pro maxima parte constans, azoti aut nihil aut parum recludens, corpori humano materiam organicam ordinis inferioris restituit, vitam, quae in systemate sanguifero et sensifero viget, animalem moderans potius, quam sollicitans: dum, quod animalia largiuntur, sub gelatinae et albuminis nomine notum, azoto gravius, nutrimentum praebet adsimilationi facilius cedens, sanguinem citius restituens, et universae vitae animali vim majorem addens.

§. 417.

Unde jam diversa diversorum remediorum plasticorum in morbos efficacia elucet. Principium plantarum plasticum morbis convenit, in quibus moderatissima corporis restauratio, et vitae simul irritabilis atque sensiferae, vi et alacritate exorbitantis, placatio exiguntur: in febribus, sive acutis, sive lentis depascentibus, congestionibus, inflammationibus, doloribus, spasmis, secretionibus et excretionibus ex motu rapidiori profusis, irritationibus per acria sustentis.

Remediorum plasticorum, quae suam vitae animali originem jam debent, subsidium in morbis urget, in quibus corpus humanum inedia, consumtione rapidiore, resolutione incitata, humorum nobilium jactura, emaciatum exhaustumque vitae suae cuicunque ad debitum tenorem sustinendae impar est.

§. 418.

Qui haec remedia in aegrorum auxilium adhibet, medicus naturae eorum a natura corporis humani minus alienae nunquam inmemor sit: hac enim fit, ut haec, quae digestionis et adsimilationis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-147026-p0410-7 DFG

organa stimulo vix ullo sollicitant, remedia, si copia majore, aut per tempus justo longius ingeruntur, eorum renisum vitalem minus exerceant, sed, quibus praesunt, functionum languorem potius relinquant. Unde in plasticorum usu moderatione quadam, vel et remediorum digestionem et adsimilationem sustinentium adminiculo non raro opus erit.

Remedia plastica ex regno plantarum.

§. 419.

Omissis hic locorum plantis, quae, gummi et muco potentes, tam parum certe ad corporis humani nutritionem et restaurationem contribuunt, ut suum inter remedia nimium vitae impetum et fervorem compescentia, seu sic dicta antiphlogistica et emollientia, locum majori jure occupent, eas tantum plantas et plantarum materias ad remedia hujus ordinis plastica revocamus, quae, qua valent, virtutem medicam amylo et albumini, quale in plantis continetur, debent.

§. 420.

Amylum.

Quam plantarum vita generat, materia farinosa, alba, a compressione stridens, insipida, odore carens, non nisi in fervida solvenda, *amylon* Graecis vocata, nutrimentum praebet, admodum mite, quod tamen solum medicamenti loco a medicis pro usu interno vix unquam praescribitur: in adfectionibus tamen intestini recti, irritationem

acriorem, sensum molestum, dolorem, involventibus, in aqua solutum per clysterem adplicatur.

Ut plurimum ex seminibus tritici aqua frigida extrahitur, ex qua quieti commissa secedit. Ab hoc nunc amylo vim suam nutrientem et medicam sequentia repetunt plantarum producta.

§. 421.

Grana Sago.

Plures Palmae species: *Sagus Rumphii*, *Cycas circinalis*, *Palma farinaria* etc. in trunco suo medullam copiosam recondunt, totam fere amylo compactam, quae exemta, cum aqua tractata et per cribrum coacta, in grana dura, albicantia, aut rubescentia redigitur, sub nomine *Sago* venalia, in sola fervida solvenda.

Cum aqua aut jusculo carnis cocta juscula praebent, aegris diarrhoea, dysenteria, tussi, stranguria adfectis, tabe consumtis, salutaria.

Huic Sago Indico substituunt hinc inde Germanicum, ex tuberibus Solani tuberosi paratum, quod vi aquae fervidae solventi facilius cedit.

§. 422.

Oryza.

Oryza sativa, planta in Indiarum, Africae, Hispaniae, Italiae terris paludosis culta, semina largitur amylo pro maxima parte conflata. Glumis suis exuta nutrimentum suppeditant digestioni facile cedens, morbis, in quibus organa acri quodam vellicantur, aut aegri doloribus vel stimuli impatientia lacessuntur, diarrhoea, aut alio proflu-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-147026-p0412-9 DFG

vio exhauriuntur, febri hectica contabescunt, conveniens.

Exhibentur in jusculo, aut lacte cocta. Decoctum aquosum inde paratum potum mucosum praebet, quem aegrorum complures hordei decocto praeferunt.

§. 423.

Semina Hordei.

Haec semina, quae *Hordeum vulgare* fert, pro maxima sui parte amylo, pro minore mucosaccharo constant, atque vel *cruda*, vel *mundata*, seu *decorticata* a medicis adhibentur.

Semina Hordei cruda cum aqua, usque dum crepuerint, cocta potum mucosum praebent, qui cum oxymelle simplici remixtus a primis jam medicae artis temporibus aegris febri aestuantibus exhibetur.

Simile potulentum, sed purius, eadem semina *decorticata* largiuntur, quod et in mucilaginis speciem densatur, in diarrhoea, dysenteria, stranguria, raucedine, tussi, phthisi, ad involvenda venena et alia acria usitatum. Cum jusculo aut lacte cocta in cibum convertuntur, ad nutriendos aegros his morbis vexatos idoneum.

Decoctum Hordei mucosum saccharo impraegnatum et ita densatum, ut rigescat, *saccharum hordeaceum* largitur, remedium domesticum, quo catarrho adfecti uti solent.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-147026-p0413-5

§. 424.

A v e n a.

Avenae sativae semina, quae plus amyli, minus mucosacchari continent, *decorticata* eundem, ac semina hordei, usum admittunt.

§. 425.

Radices Salep.

Radices Salep, quarum matres plures *Orchidis* species: *Orchis morio*, O. *mascula*, O. *maculata*, O. *bifolia*, O. *latifolia*, O. *militaris*, et aliae sunt, partim ex Asia et insulis Archipelagi advehuntur, partim in terris nostris colliguntur. Tubera (quorum duo singula plerumque planta offert, alterum marcidum, alterum recens et solidum) meliora aquae fervidae inmersa et abstersa, furno calefacto per breve temporis intervallum, donec pelluceant, committuntur, dein vero sub calore moderato paulatim siccantur.

Inter reliquas radices Salep optimae censentur, quae ex oriente adferuntur, quae tubera aut subrotunda, oblonga, aut palmata exhibent, cornea, subpellucida, flavescentia, saporis mucosi, in pulverem album contundenda.

Tubera haec, tota fere amyli specie constantia, vim lenientem, obvolventem et nutrientem exserunt, ob quam ad involvenda acria, sive forinsecus ingesta, sive in corpore humano generata, ad compescendam sensilitatem et irritabilitatem stimuli impatientem, ad mitigandos dolores, ad moderandam diarrhoeam, dysenteriam, stranguriam, blennorrhoeam acutam, tussim, ad nutriendos et

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-147026-p0414-1 DFG

restaurandos emaciatos, exsuccos, hecticos, in frequentissimum veniunt medicorum usum.

Pulvis radicis Salep, qui ad scrupulum unum hinc inde praescribitur, digestionem adhuc sat validam sibi requirit; quare decoctum plerumque praefertur, quod ex radicis scrupulo uno cum aquae libra per horae quadrantem cocto eam spissitudinem contrahit, qua aegrorum gustui et ventriculo maxime placet: quod tamen, si spissius desideratur, ex drachma etiam parari poterit, coctione per dimidium horae protracta. Non raro jusculo carnis, subinde lacte, vel et vino excipitur.

§. 426.

Albumen plantarum.

Albumen plantarum materiam plasticam refert albumini animali non absimilem, in aqua solvendam, igne coagulandam, in putredinem nitentem, azoto igitur jam praeditam, unde, quae majori hujus materiae copia donatae sunt, plantae et plantarum partes majorem etiam vim nutrientem et restaurantem repetunt ac, quae solo amylo et muco gaudent, remedia hucusque considerata. Inter remedia hujus generis plastica principem nobis locum mereri videntur:

§. 427.

Amygdalae dulces.

Amigdalus communis, arbor Africana ad Europam australem et hortos nostros translata, amygdalas fert, quae ab alia arbore dulces, ab alia ama-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-147026-p0415-6 DFG

rae veniunt. Hujus loci solae *amygdalae dulces* sunt, seu nuclei fructuum intimi, compressi, ad alterum finem rotundati, ad alterum acuminati, intra albi, extra folliculo ex fusco flavo vestiti, odoris nullius, saporis lacteo - dulcis. Rejiciendae sunt fractae, corrosae, intra flavescentes, et quae gustum sapore rancido offendunt.

Praeter oleum pingue copiosum, albumen et mucosaccharum continent, unde vim nutrientem magnam, lenientem simul et obvolventem habent.

Crudae comeduntur, a medicis vero ad parandum emulsum praescribuntur, quod ex amygdalis dulcibus decorticatis et cum pauxillo aquae in pultem contusis, dein cum reliqua aqua, paulatim adfundenda, contritis elicitum, aegris aut medicamentum praebet aut potum ordinarium, in omni casu, ubi sine stimulo nutriendum, nimius vitae fervor moderandus, motuum turbae sedandae, dolores compescendi, acria obvolvenda sunt, aeque gratum ac salutarem, pro usu tamen longiore non commendandum, ut quo ventriculi et intestinorum languor et laxitas tandem inducuntur.

Ad emulsum librae unius, sat tenue, amygdalarum uncia una recipitur, quam dosim pro ratione majoris, quam desideramus, spissitudinis augemus.

Praeparata. Syrupus amygdalarum s. *Syrupus emulsivus*, quem pharmacopoea Boruss. ita parare jubet: Recipe amygdalarum dulcium uncias octo, amygdalarum amararum uncias duas. Decorticatis et in mortario lapideo pistilli lignei ope contusis sensim adde aquae communis libras duas, aquae florum Aurantii uncias duas. In emulsi colati unciis viginti solve sacchari albissimi libras tres, et

calore lenissimo fiat syrupus, ad unciam unam mixturis, quibus convenit, addendus.

Oleum amygdalarum pressum ad alium systematis locum spectat.

Furfur amygdalarum ab olei expressione residuus feminis ad servandam cutis mollitiem in usu est.

§. 428.

Semina Cucurbitae — Cucurbitae Peponis —; semina Citrulli — Cucurbitae Citrulli —; semina Melonis — Cucumeris Melonis; semina Cucumeris — Cucumeris sativi — simili modo ad parandum emulsum, quod tamen tenuius inde procedit, nonnunquam adhibentur.

Eidem usui *semina Cardui Mariani, Carthami tinctorii* et *Aquilegiae vulgaris* quondam inservierunt.

Remedia plastica ex regno animali.

§. 429.

Remedia plastica, quae suam ex aliis corporibus animalibus originem repetunt, corporis humani naturae jam magis adfinia, in hoc ipso, caeteris paribus, digestionem et adsimilationem multo facilius et citius, quam quae a plantis suppeditantur, subeunt, si ab aliis difficilius digerendis et adsimilandis separata, aegris offeruntur, id quod de *gelatina* et *albumine* e partibus animalibus elicitis prae aliis praedicare licet: unde et haec in morbis, in quibus cita et larga corporis exhausti restauratio requiritur — nisi processus vitalis rapidior, febris intensa, eorum adplicationi repugnet, — frequentius in auxilium vocari solent.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-147026-p0417-8

§. 430.

Gelatina animalis.

Gelatina animalis, materia plastica sui generis, ex pluribus partibus animalibus: membranis, tendinibus, musculis, ligamentis, cartilaginibus, ossibus, coctionis ope extracta, quam tamen *Berzelius* inde non eductam, sed ex aliis materiis plasticis coctione productam credit. Solutio gelatinae aquosa refrigeratione in massam tremulam coit, ex albo flavescentem, odoris expertem, saporis fatui, quae in aqua, spiritu vini tenui, acidis dilutis et alcalibus solvitur, cum materia plantarum adstringente in corpus solidum, tenax, in aqua insolubile congreditur, sat humida calori requisito exposita ab initio acescit, brevi post in putredinem ruens.

Digestioni et adsimilationi facillime cedens ad aegros exsuccos et emaciatos, quorum digestio simul prostrata est, restaurandos adhibetur.

Paratur inde jusculum, quod nutrimento abundat, dum plures carnis bubulae, vitulinae, gallinaceae, librae cum larga aquae mole ad jusculum aliquot librarum incoquuntur.

Nec displicet medicis quibusdam *gelatina sicca*, e pedibus vitulinis etc. extracta et contra febrim intermittentem commendata, cujus eum Dr. *Seguin* usum suadet, ut inminente febris accessu gelatinae in pauxillo aquae liquatae semuncia hauriatur, eaque dosis, prius quam tertia horae pars praeterlapsa fuerit, bis adhuc repetatur; tempore autem, quo febris silet, unciae duae omni quarta aut sexta hora capiantur.

Ab hac non differt, quae ex cornu cervi raso paratur, gelatina.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-147026-p0418-4 DFG

§. 431.

Ichthyocolla.

Membrana interna vesicae natatoriae *Acipenserum: Husonis, Sturionis, stellati, Rutheni*, quae gelatina constans, in aqua fervida soluta, eundem, ac omnis alia gelatina, usum admittit.

Praeparatum: *Emplastrum glutinosum* s. *Anglicanum*; tela bombycina solutione Ichthyocollae, ab initio tenuiori, dein gradatim spissiori, iteratis vicibus penicilli ope obducta, quae siccata in facie adversa tinctura Benzoes illinitur. Ad loca epidermide orbata et vulnera simplicia ab aëris accessu defendenda usitatum.

§. 432.

Helix pomatia.

In hortis sylvisque frequens. In nonnullis Europae provinciis, praeprimis in Helvetia, helicum millia in propriis hortis aluntur. Carnem offerunt, quae cum aqua in jusculum decocta gelatinae solutionem praebet, phthisicis commendatam. Vermis integer coctus cibum largitur albumine coacto constantem, hinc digestu difficiliorem.

§. 433.

Cancer Astacus.

In aquis dulcibus habitans, carnem habet ex fibra tenera, gelatina copiosa et sale constantem, in putredinem admodum nitentem, quae facile digerenda multum nutrit. Coctus integer comeditur

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-147026-p0419-2 DFG

et ad paranda juscula adhibetur. Optimus a mense Majo ad Augustum, serius marcidus reperitur. Nonnullis hominibus erysipelas, urticariam et alia symptomata causat, quae vel ab inmodico illius usu, vel a cancro aut morbo, quo vivus laboravit, aut putredine jam corrupto, vel ab edentis idiosyncrasia repetenda sunt.

Lapides cancrorum, quorum unus ad utrumque ventriculi latus tempore, quo cancri integumentum abjicitur et regeneratur, occurrit, albus, rotundus, altero latere convexus, altero concavus, lamellis pluribus compositus. Praeter aliquid, quod continent, gelatinae, maxima pro parte calce carbonica et pauxillo calcis phosphoricae constituuntur; ad absorbendum acidum primarum viarum crebro usitati, in pulvere a scrupulo semis ad integrum praescribendi.

§. 434.

Vipera.

Coluber Vipera, in Aegypto, et *Coluber Berus*, in Italia, Helvetia, Germania meridionali, degens, juscula Viperarum largiuntur, quae gelatinae, quam continent, vim suam restaurantem debent, ob quam contra phthisim, lepram et cachexias nonnullas hinc inde commendantur.

§. 435.

Rana esculenta.

Rana viridis corpore angulato, dorso transverse gibbo, abdomine marginato, in aquis limpidis habitans, materiam nutrientem suppeditat,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-147026-p0420-3 DFG

mitem, digestu facilem. Crura illius comeduntur et juscula inde parata.

§. 436.

Testudo.

Testudo Mydas, maria tropica incolens, *Testudo geometrica*, in Asia, *T. Graeca*, in provinciis Europae calidioribus, T. *orbicularis*, s. *Europaea*, in Europa media degens, omnes ob carnem teneram, succulentam, sapidam, digestu facilem, large nutrientem, aestimantur. Jusculum inde paratum exhaustos, hecticos, a morbis gravioribus convalescentes admodum restaurat.

§. 437.

Albumen animale.

Materia plastica sui generis, alba, quae magnam corporis animalis hujusque organorum et humorum partem constituit, in aqua frigida solvenda, spiritu vini autem, acidis — dummodo aceticum et phosphoricum excipias — nec non igne coagulanda. Albumen, liquidum adhuc, nec copia nimia ingestum, digestu sat facile, virtutem nutrientem, restaurantem magnam exserit, hominibus praeprimis commendandum, qui venere, haemorrhagia, blennorrhoea, profluvio morboso alio, morbis praegressis, confecti, larga indigent materiae organicae reparatione. Coactum jam digestioni difficilius cedit, a sanis modo exercitatisque bene subigendum.

Purum obtinetur ex ovis, quorum *vitellus*, (aqua, albumine et tertia sui ponderis parte olei

pinguis constans) cum frigida contritus emulsi speciem exhibet, a fervida, spiritu vini et acidis coagulandus, remedium nutriens, leniens et obvolvens magnae virtutis praebet, quod in adfectionibus catarrhalibus et tabe effectum salutarem praestat, in ictero quoque laudatum.

Adhibetur crudus, cum saccharo contritus aut cum aqua subactus. Ad subigenda etiam balsama, resinas et similia, ut in aqua suspendi possint, in usu est.

Oleum ovorum, ex vitellis ad coagulum solidum coctis, deinde sub agitatione continua leniter tostis, expressum, spissum, frigore non adeo intenso coagulandum, rancorem brevi contrahens, *medicis quondam usitatum fuit.*

§. 438.

L a c.

Lac humor animalis, ex prima adsimilatione emergens, in mamma muliebri secretus, inter victum ex plantis petitum et animalem locum intermedium tenet, praesertim, si ex plantis in nutrimentum conversis originem suam deducit. Lac emulsum et quieti commissum post aliquod temporis spatium in serum, coagulum et cremorem secedit. Serum liquidum aquosum est, saccharo lactis impraegnatum, coagulum s. caseus albuminis species, cremor autem pro maxima parte oleo animali pingui constituitur. Lactis coagulum additis acidis, aut salibus acidulis, aut etiam frustulo ventriculi vitulini, aut infuso frigido Galii lutei etc. acceleratur; alcalibus vero causticis arcetur.

Ipsum lac et, quibus constituitur, materierum ratio pro diverso, a quo repetitur, animali,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-147026-p0422-5 DFG

pro diversa hujus valetudine et constitutione, pro diverso, quo animal nutritur, victu, et pro diverso, per quod jam lactis secretio a partu inde protrahitur, tempore, multum variant.

Si, quod animalia varia largiuntur, lac comparaveris, in asinino majorem sacchari, minorem casei et butyri copiam invenies. Hoc deinde equinum, humanum, vaccinum, caprinum, ovillum, ea ratione sequuntur, ut in sequentium singulo albumen et oleum, atque cum his simul virtus quidem nutriens, sed et digestionis difficultas augeantur.

Varium quoque nutrimentorum genus lactis indolem mutare, in lacte humano confirmatum videmus, quod a matre plantis nutrita facilius acescit et coagulatur, ex victu vero animali extractum coagulo et acori diutius resistit. Sic et quae cum nutrimentis corpori animali ingeruntur, amarorum, aromaticorum, acrium etc. in lacte vestigia, odore et sapore indicata, nutrimentorum in lac effectum satis testantur.

Temporis, quo lac secernitur, decursus lactis compositionem ita mutat, ut, quod brevi post partum secernitur, lac sero abundet, prolis, quam alit, alvum laxans, illud vero, quod serius edunt mammae, spissius et materia nutriente gravius reperiatur.

Lac quodcunque, crudum aut coctum, ventriculo ingestum per succum gastricum primo coagulatur, progrediente deinde digestione iterum solvendum. Infanti recens nato solum lac nutrimentum sufficiens praebet, optimum, dum ex sanae matris uberibus sugitur, cujus locum nutricis alienae lac aegre, aegrius bruti animalis, nunquam vero puls ex farina parata supplebit. Pueris et adultis animalium etiam lac nutrimentum egregium largitur, famem simul fallens et sitim.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-147026-p0423-0

Principio nutriente dives, digestu et adsimilatu facile, corporis restaurationem absque stimulo sustinens, nimium vitae impetum temperans, morbis quam pluribus, sub quibus materiae organicae per nutrimenta validiora reparatio vel ob digestionem languidam, vel ob stimuli, quem addunt, impatientiam non conceditur, (uti phthisi, tabi dorsali, arthritidi, variolis, morbillis) saluberrimum remedium offert. Venenis acribus antidotum, aut obvolvens saltem remedium opponit, cujus et in aliis casibus, ubi ad lenientia confugimus, usus fieri potest. Vermes tandem inquietos, et, quas movent, turbas componit.

In usum medicum lac asininum vaccino, *et recens mulctum calore animali adhuc praeditum* cocto, praeferunt, quin tamen lac vaccinum, vel et coctum, ut quod serius acescit, penitus spernendum sit.

Pro vario, quem medicus intendit, curae fine, et pro varia aegri constitutione, varia lacti remedia adduntur, e. g. aromatica, amara, aquae soteriae etc.; sub cujus usu a cibis pinguibus, tenacibus, acidis, aut aëres uberius eructantibus, a potulentis fermentantibus, ab omnibus, quae ventriculum gravant, *debilitant*, *refrigerant*, alvi fluxum praeter medici consilium *inducunt*, abstinendum erit.

Praeter lac integrum singulae etiam, quibus constituitur, partes, a se invicem sejunctae in varium finem a medicis adhibentur.

Serum et, quod inde extrahitur, *saccharum lactis* suum jam in hoc opere locum inter remedia solventia invenerunt.

Cremor lactis, linctus naturalis, nutriens jucundum, absque stimulo restaurans, leniens, acria obvolvens, venena obtundens.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-147026-p0424-6 DFG

Butyrum reliquorum oleorum pinguium virtute gaudet. Ciborum, quibus additur, e plantis paratorum virtutem nutrientem auget.

Caseus, ex albumine coagulato constans, qui pinguis, qualis hinc inde paratur, butyrum simul recondit, non parum quidem nutrimenti concedit, sed validam quoque digestionem sibi requirit, cui eo magis resistit, quo magis jam induratus est. Vetustus, putrescens, acer, foetidus, non ad nutrimenta, sed ad potentias nocivas referendus est.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-147026-p0425-2